



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 10. Monetus casu dicta, consilio Dei vtiliter excepit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

38 Cap. II. Remedium patientiae est,
collegit, denuò dixit, ab Episcopo se mis-
sum. Cui Bernardus, *Falleris*, ait, *maior Do-
minus misit te Christus*. Tum demum intelli-
gens Clericus, quorū ea verba irent, ait:
Nempe Monachum me velle fieri existimās?
*Apage, cum tuo cucullo, quem nunquam so-
mniaui.* Non passus est se repelli D. Bernar-
dus, sed, quantumuis Clerico reclamante,
perstītit, affirmauitque fore, vt cucullum
Monachūmque indueret; non quod ipse,
sed quod Deus iter illius ita destinārit. De-
dit manus illico Clericus, atque, in eodem
adhuc itinere, Mundo rem suam sibi habe-
re jussō, Monachus Clareuallensis factus
est. Hic *casu* se obuiam missum existimans
Bernardo, magno Dei consilio, obuiam-
missus est. Supra memoratis duobus, alio,
& casu dicta, si vel iocantes ac mordentes,
vel aliud monentes consideres; diuinā pro-
uidentiā tamen, ad constantiam & sanitā-
tem profuerunt.

§. X.

*Monetus casu dicta, consilio Dei uti-
liter excepit.*

Hieron.
Plat. I. 3.
de Bono

Notum est illud, sed ad rem facit, quod
Hieronymus Platus, è Prædicatorum histo-
rijs, in hunc modum recitat. *Bononiae, in
primis*

de Bonis
stat. Reli-
g. cap.
38.

primis fere Dominicani ordinis initijs, vir magnus, clarusq; doctrina, cœlestium bonorum amplitudine, ad hanc (Religiosam) vitam illektus est. Cum enim Reginaldus, unus ex precipuis illius familie, magno hominum concursu, & approbatione, verbum Dei prædicaret; Monetus (sic enim is appellabatur) de industria illius congressum & sermonem fugere consueuerat, multum sibi ab eo metuens. Tamen, in Stephani martyris natali, ad eius concionem, comitum importunitate, pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponeret: Ecce video cœlos apertos. Ita enim disserebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita ut qui quis ingredi posat; qui autem negligentes essent, & qui Deo cor suum clauderent, ijs vicissim cœlos claudi, ut deinde intrare nō possint. Nec pluribus opus fuit; statim enim, corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à Religione, Religionis voluntatem concepit, finita concione, Reginaldum adiit, animam suum exposuit, et unque, voti etiam vinculo adiuncto, confirmavit. Alia mens fuerat Moneti, cum templo intraret, alia ipsius Reginaldi, concionantis atque de Moneto nihil cogitantis. Itaque casus fuit, ut unus hoc ad po-

40 Cap. II. Remedium patientiae est,

pulum diceret , veniente altero ; & vt alter
veniret , cū hoc ipsum diceretur , per quod
Deus volebat , alioqui satis sibi cauentem ,
trahere ad Religionem. O quām mirabiles
hic modi possent enumerari Vocationum ,
quibus homines Deus , nihil simile cogitan-
tes , è seculi vanitate extraxit ! Et aliquam-
multos Platus cit. loco recensuit ; quos no-
lo hic recoquere : qui tamen , si recte ex-
pendantur , ad diuinam Prudentiam vi-
debuntur spectare ; tametsi alioqui , ratio-
ne hominum , planè meri Casus possent cen-
seri.

§. XI.

Diuinum Iacobi Fortunati , è casu , omen.

Marine-
us l. 10.
rer. Hisp.

Quis non Deum potius , quām Casum
agnoscat , in eo , quod Marineus refert , de
Maria Petri Aragonum regis septimi uxore
& quæ , antea sterilis , filium , quem tan-
dēm peperit , statim ad Ecclesiam misit , an-
te effigiem Virginis Mariæ , offerendum ?
Ingrediebatur , cum infante , magna cater-
ua aulicorum , eo ipso tempore quo sacer-
dotes , qui matutinas preces cantabant (de
aduentu , immo de ortu regij infantis igna-
ri) incipiebant canere : *Te Deum laudamus.*
Paulo post hinc tota pompa , ad aliam Ec-
clesiam , cū recens nato filio Reginæ , venit:

vbi